

IN
ODEN PRIMAM
HORATII,

Mæcenas atavis &c.

PARAPHRASIS
ELEGIACA.

C. W.

* * *
GROTIUS ad VOSSIUM de Filio suo

Epist. 247. p. m. 84.

VERTIT NUNC HORATIANA IN ALIUD
GENUS CARMINIS.



Plendide *MÆCENAS*, quem
gloria prisca parentum
Vel magnis voluit Regibus esse
parem.

Tu mihi *P RÆSIDIUM*, vege-
tas dum cogito Musas;

Tu *DECUS*, applaudens dum mihi *CÆSAR*
adeft.

Quisq; suos sequimur passim patimurq; labores:
Me tamen iste juuat To præeunte labor.
Sunt quibus ad cursum se campus Olympicus offert,
Dum via collecto puluere sparsa placet:
Sic rota dispositas euitat cauta columnas,
Ne cadat augurio spes bene coepta suo:
Dummodo nobilitet calidum victoria cursum,
Et mundi dominus se putet esse *DEUM*.
Sunt quos mobilium numerosa caterua Quiritum
Certat tergemino fortis honore frui,
Sunt quos stiua juuat, dum frugibus horrea turgent,
Vel benè concussas area verrit opes:

Hos

Hos non dimoucas, si, quales Attalus olim
Diuitias pepigit, dixeris esse ratas;
Ut pauido scandant opulentam pectore puppin,
Incertasq; legant per freta longa vias.
Est mercaturæ quem seria tædia tangunt,
Æquora dum ventos naufragiumq; timent:
Otia tunc laudat, tunc hos putat esse beatos,
Queis licet ad patrium consenuisse focum:
Mox redit ad solitas reparatis nauibus artes,
Indocilis rerum damna, famemq; pati.
Hei mihi, quos animos capit infidiosa voluptas
Diluitur rutilo dum brevis hora mero;
Qui partem solidis cur detraxisse diebus
Spernant, aut genio fundere dona suo?
Nam mox discutitur sub molli crapula fago,
Mox ad fonticuli lene ruentis aqvas.
Sunt etiam virtus quos castra sub horrida ducit,
Quos tuba vel litui sibila mixta iuuant:
In sua damna ruunt, securi an prouida mater
Detestata domi jugiter arma fleat.
Vos quoq;, syluestris, quibus est venatio cordi,
Quam grauibus constant gaudia vestra malis?
Nam si prodiderit catulorum astutia ceruam.
Ruperit aut teretes torua ferina plagas;
Vos nec blanda domus, nec sponsa tenella moratur,
Quin iuuet in medio frigore sylua magis.

Ast

Ast valeant omnes: quos non mea cura fatigat,
Dum mea diuinum Musula tentat opus.
Si virides hederæ fronti sua præmia reddant,
Meq; suo dignum Cæsar amore probet.
Inspirent nemoris jucunda silentia, quicquid
Liberior Satyrus blandaq; Nympa jubet.
Secernar populo, grauior seu tibia cantum
Barbitos aut strepitu se leuiore mouet.
Hinc Tua perpetuum præstat si gratia lumen
Versibus ut videar viuere posse meis:
Tunc homines coelum digito me tangere dicent,
Vel tamen obscurum deseruisse gregem.



RA